

1495 dum iter facerent, multa in via cadavera Gallorum pa-
sim jacentia conspexerunt: ut plus etiam, quam crede-
batur, exercitui regio esse illatum cædis appareret. at-
que ii quidem equites postremum regis agmen celeritate
consecuti, compluribus interfectis, præda etiam facta ad
imperatorem redierunt. Eo de prælio a Senatu supplica-
tio decreta est, gratiæque Diis immortalibus aetæ, quod
civitatem magnopere suspensam, tantarum rerum expe-
ctatione, fuga hostium liberavissent: Nicolaoque Ursino
auri libræ decem dono datæ. Sed rege Carolo Neapolii
profecto, ut paulisper ad superiora revertamur, Veneti
de classe regia in Liguriam missa, ut supra demonstra-
tum est, certiores facti, suum hominem cum pecunia
Genuam ad naves onerarias, quibus ad mercaturam uti
citas privatim consuevit, habetque in portu fere sem-
per multas, militibus rebusque omnibus ad bellum pro-
pulsandum idoneis celeriter armandas, contendere jusse-
runt: cum Ludovicus item instrui naves longas aliquot ibi-
dem jussisset. Pollicitæ præterea sunt procurantibus Patribus
fœderatorum legationes Genuensium magistratui, ut liben-
tius contra Gallos arma caperent, se curaturas effectu-
rasque, uti eis Florentinorum civitas Serezanam, Serezan-
ulumque, ac Petram Sanctam in Apennino oppida resti-
tueret: ejusque rei potentibus ipsis Senatus prædem se de-
dit. Fuerant ea oppida complures ante annos Genuen-
sium magistratus, qui publicæ privatæque pecuniæ, quæ
in ærario vulgo deponitur, præest, ob eamque pecuniam
dominis ternas centesimas quotannis solvit: sed ab iis qui
civitati tum præerant, pignoris nomine ad rempublicam
Florentinoru[m] pervenerunt, tercentum auri libris mutuo
ab illa eis datis. Ea sibi reddi oppida civitas magnopere
studebat, erantque illa ipsa, quæ Carolo tradere Petrus
Medices pactus fuerat. Regis igitur classis ad littora Ge-
nuensium appulsa, cui quidem etiam ex Apennini jugis
rex equites aliquot, peditesque Gallos quingentos auxilio
miserat, totam illam oram, quæ ad orientem solem spe-
ctat, in ejus potestatem rededit, Portu Veneris excepto.

ita